

gilare ne communites onerentur fundationibus, quibus forte satisfacere non possent¹.

III. Hæc præsertim attendenda sunt ut acceptetur fundatio :

^{4^{um}} An Ecclesia parochialis, sacellum publicum, aliudve institutum cui fit donatio, valeat, pro numero presbyterorum qui ibidem regulariter sacra munia obeunt, et habita ratione cæterorum officiorum, aliarumque fundationum quibus jam gravatur, implere convenienter, ut decet, onera novæ fundationis.

^{2^{um}} An assignentur redditus sufficietes, non solum ut assecuretur stipendium consuetudine locali aut statutis diocesanis taxatum, sed insuper ut fabrica conferat quæcumque ad celebrationem officii necessaria sunt, et ipsa bona in fundatione assignata gerat. Majus stipendium regulariter postulatur pro celebrandis Missis perpetuis, quam pro cæteris quæ adventitiæ seu *manuales* nuncupantur. Præter quod ipsummet onus quod assumitur in perpetuum, hujus augmenti rationem probat, opportunum est providere futurae imminutioni bonorum, et accrescenti pretio victualium, ne labentibus annis redditus evadant impares, et urgeat necessitas reducendi numerum Missarum. Quoad vero onera ipsi fabricæ imposita, plus minusve gravant pro natura operis prestandi, et gestionis fundorum. Nulla fere sunt onera fabricæ, si bona constituantur in censibus annuis, et si fundatio requirat solummodo applicationem Missarum lectorum; si autem officia debeat ritu solemniori celebrari, aut si bona immobilia data sint Ecclesiæ, impensæ majores necessario incumbunt.

^{3^{um}} Si testator neglexerit consulere expensis necessariis, pro numero et gradu solemnitatis officiorum quæ expoposcit, simul et reservationi in gratiam fabricæ statuendæ, Episcopus unum ex duobus eliget : aut fundationem non approbat, vel cum haeredibus res ipsi erit componenda, ut cuncta ad normam juris et æquitatis redigantur.

¹ Decretum jussu Urbani VIII a S. Congregat. concilii promulgatum, Cum sæpe contingat. Bened. XIV, *de Synodo*, lib. XIII, cap. ultimum.

Episcopus potest condere statutum generale, quo ordinatione stabili in futurum, declarat fundationes non acceptandas fore nisi sub certis conditionibus; quo semel præfinito et promulgato, qui fundationes testamento constituunt merito præsumuntur ad præscriptum legis suas intentiones componere. Nisi autem lex præcaverit, aut, repudiata priori fundatione, nova ineat ex mutuo consensu partium, titularis scilicet Ecclesiæ et hæredum, Episcopus non poterit jure proprio reducere numerum Missarum. Quæ SS. Pontifices statuerunt ea de re, afficiunt non solum fundationes jam factas et acceptatas, sed etiam nondum acceptatas, quod definitum fuisse testatur Benedictus XIV, *de Synodo*, lib. XIII, cap. ultimo, n° 19. De his mox iterum dicemus.

*590. — II^o Quid leges canonicae præscriperint circa adimplitionem onerum fundationum?

Leges canonicae ad promovendam observationem onerum fundationum, consignatæ reperiuntur, cum decisionibus variis Sac. Congregationis, in Constitutione Innocentii XII, *Nuper a Congregatione*, cuius hæc est summa :

1^o Mandatur, sub obtestatione divini judicij, ut tot Missæ celebrentur quot, ad rationem eleemosynæ attributæ, fuerint præscriptæ ab eo qui eleemosynam tribuit, « ita ut alioquin ii ad quos pertinent, suæ obligationi non satisfaciant, quin imo graviter peccent, et ad restitutionem teneantur. » (§ 3.)

2^o Statuitur, sub poena interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda, ut pecunia ac bona mobilia Ecclesiis, tam saecularibus quam regularibus acquisita, cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab iis ad quos pertinet, quam primum collocentur in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa mentione oneris quod illis annexum est; si autem hæc bona alienari contigerit, pretium debet, cum ejusdem onoris repetitione, converti in alia bona stabilia et fructifera (§ 5, 6). Censu annuo certos locum tenere bonorum immobilium existimamus,

in nostris regionibus ubi gubernium regulariter non sinit ut aliter collocentur bona mobilia in fundationem data.

3º Prohibetur ne rectores ecclesiarum eleemosynas manuales et quotidianas pro Missis celebrandis recipient, nisi oneribus ante impositis per varias fundationes satisficerint, vel intra tempus modicum satisfacere valeant, excepto tamen si tribuens eleemosynam, auditio impedimento, consentiat ut Missæ, quas postulat, protrahantur ad tempus, quoadusque susceptis jam muneribus fuerit satisfactum (§ 8, 10). Cum autem dubitaretur quid intelligi deberet per *tempus modicum*, quod alii aliter interpretabantur, Benedictus XIV refert S. Congregationem respondisse *modicum tempus intelligi infra mensem*¹. Servare debemus statuta et probatas consuetudines locorum.

4º Tenentur rectores, ad quos spectat, conficere, semperque in loco patenti retinere, tabellam onerum perpetuorum et temporalium, litteris descriptorum. Insuper retinere debent in sacrario duos libros in quorum altero singula onera perpetua et temporaria, in altero autem Missæ manuales consignentur; diligenter notentur eleemosynæ receptæ, et missæ quæ ad intentionem donatorum celebratae sunt; de quibus omnibus, singulis annis exactam rationem suis superioribus redderent. (§ 26, 27.)

5º Tandem, pœna suspensionis fertur contra eos ad quos pertinet cura tabellæ et librorum, si operam præmissis minime naverint, et contra superiores, tum regularium tum sæcularium Ecclesiarum, qui rationem prædictam non exegerint, seu non invigilaverint ut præfati quibus cura tabellarum et librorum incumbit, suo muneri satisfaciant. Et ne ullo unquam tempore, omnia et singula decreta, quæ fert constitutio Innocentii XII, in oblivionem seu desuetudinem abeant, rectores, superiores, seu capitula Ecclesiarum sæcularium, illa retinere debent publice exposita in eorum sacrario. (§ 29, 30.)

¹ *Institutione* lvi, n° 14. — S. Alph. de Liguori, lib. VI, n° 317, quæst. II.

Episcoporum est, quoad Ecclesias sæculares, invigilare in visitationibus, et extra visitationem, ut provideatur tum conservationi fundationum, tum adimplectioni onerum, et ea præscribere, ad mentem decretorum Pontificiorum, quæ expedire judicaverint ad hunc finem certius assequendum. Concilium Parisiense, an. 1848 celebratum, indixit ut in singulis Ecclesiis parochialibus, neonon in sacellis vicarialibus annexis, aliisve locis piis canonice erectis, aut in loco adjacenti, « semper dependeat tabella quæ secundum anni dies piorum onerum compendium oculis exhibeat. » Præterea, idem concilium parochos, capellanos, et sacrorum locorum in temporalibus administratores quoscumque, etiam laicos, monuit « ut fundationum titulos sedulo requirant, diligenter servent, et opportuno tempore renovari curent: nullas denique omittant cautiones a lege civili, vel aliunde, requisitas, quibus jura sibi concedit dita integra et sarta tecta permaneant. » Tit. III, cap. VIII.

*591. — IIIº *Quandonam cessent, et quo jure imminui possint onera fundationum?*

I. Onera fundationis penitus cessant quando perit fundus, aut amittitur redditus ad executionem piorum operum destinatus, nisi ex causa culpabili amissio boni temporalis contigerit. Parochus, seu alius quivis rector loci sacri, qui innocens est negligentiae qua perit fundus, non tenetur ad subeundum onera sue Ecclesie, titulo fundationum, imposta; qui vero suum officium in servando fundo culpabiliter neglexit, et in causa est cur titulus deperditus sit, aut præscriptione civili sublatus, tenetur in conscientia alios redditus, si possit, in locum priorum substituere.

Non cessant solo lapsu temporis, nec præscriptione, si fundatio facta sit in perpetuum, etsi per diuturnum tempus prætermissa fuerit, etiam cum bona fide, executio operis pii agendi¹. Nonnulli theologi olim asseruerunt animas defuncto-

¹ Sancta Sedes concessit fratribus Minoribus Sancti Francisci a Paula, ut perpetua onera Missarum in eorum Ecclesiis ultra 50 annos non durarent;

rum non diutius detineri purgatorio quam per decennium; ex qua opinione nonnulli probabiliste illico deduxerunt annum legatum, etiam perpetuum, pro anima defuncti relictum, non durare ultra decem annos. Quam opinionem arbitriam, omni fundamento destitutam, condemnavit Alexander, proscripta propositione quæ est XLIII inter damnatas decreto 2 sept. 1665. Nec meliori titulo invocaretur beneficium præscriptionis: vetat æquitas quominus præscriptio currat contra non valentem agere; nec eidem æquitati consonum est titularem velle sua suorumve prædecessorum negligentia tutari, contra obligationes fundationi annexas, adeo ut redditibus temporalibus frui præsumat, dum se ab oneribus immunem prætendit. Remanet proinde obligatio, quamdiu subsistit fundus: nedum extincta censeatur tempore elapsi, quo onera impleta non fuerint, est locus reparacioni damnorum perpessorum a fundatoribus, nisi obtineatur condonatio.

*592. — Omnes fatentur implenda esse omnia et singula onera fundationum, sive de numero Missarum, sive de aliis piis operibus agatur; si quidem hujusmodi onera acceptata sunt per contractum utrinque obstringentem. « Fundatio et donatio, » ait Fagnan, se habet per modum quasi-contractus ultro « citroque obligatorii, seu donationis sub modo, quam cum « Episcopus admiserit, et provisus, dum institueretur, non « recusaverit, non potest modo onus detrectare. » (In cap. *Ex parte*, n° 24, DE CONSTITUTIONIBUS.) Verum contingere potest 1º quod superior, ad quem spectabat, minus prudenter egerit acceptando fundationem cujus graviora sunt onera, ut facile inveniri possit qui velit ea exequi; 2º quod redditus in fundatione constituti casu perierint, vel notabiliter imminuti fuerint

quo elapsi tempore pii benefactores particeps fierent sacrificiorum que in universo Ordine pro benefactoribus in genere offeruntur; sed Benedictus XIV, haec statuendo, voluit de iis certiores fieri omnes qui onera perpetua Missarum religiosis hujus Ordinis demandant. Const. *Paternæ sollicitudinis*, an. 1749. *De Synodo*, lib. XIII, cap. ultimum, n° 15.

tractu temporis, adeo ut non sint amplius sufficietes ad onerum fundationis expletionem. Porro in utroque casu quæstio est an et quo jure onera imminui possint.

1º In primo casu recurrere necesse est ad Sanctam Sedem. Concilium Tridentinum (sess. xxv, cap. iv, *de Reform.*) concessit Episcopis ut in synodo diœcesana, itemque abbatibus et generalibus ordinum in suis capitulis generalibus, id statuant quod magis ad Dei honorem et cultum, atque Ecclesiarum utilitatem viderint expedire; sed S. Congregatio concilii interpres declaravit decretum intelligendum esse solummodo de fundationibus tunc temporis, scilicet ante concilium acceptatis, non vero de ceteris quæ in posterum constituerentur, et decreto, jussu Urbani VIII promulgato, expresse prohibuit *ne Episcopi, aut Generales ordinum, onera ulla Missarum celebrandarum post concilium imposita reducant*. Ergo jure communi Episcopi indigent indulto apostolico, si velint reduci, aut commutari onera fundationum. (Bened. XIV, *de Synodo*, lib. XIII, cap. ultimo, n° 18-20.)

2º In secundo casu non una est omnium sententia. Plures concludunt ex decreto S. Congregationis, quamlibet reductiōnem onerum Missarum esse reservatam Sanctæ Sedi: alii sentiunt Episcopos posse, saltem indirecte, reducere numerum Missarum, reducendo contractum ad terminos æquitatis. Juxta illos, ipsomet jure naturali, ex regula scilicet contractum, imminuta censentur onera fundationis, in casu de quo agitur.

Pacta, inquit, theologi quorum sententiam refert S. Alph. de Liguori, non obligant ultra intentionem legitime præsumptam contrahentium: porro partes non intendebant, nec præsumuntur voluisse, ut integra manerent onera in casu quo tractu temporis, eventu rerum, absque culpa administratorum, notabiliter minuerentur redditus pro eorumdem onerum impletione assignati, adeo ut sint nullatenus sufficietes... Si fundus perierit, fundatio extincta peremptaque foret; ergo a pari si no-

tabiliter minuatur, eo ipso proportionate cessat pars aliqua obligationum.... Periculoso foret dimitti judicium de illa onerum diminutione singulis titularibus beneficiorum; non est vero inconveniens, nec legibus canonicis vetitum, si Episcopi, assumendo partes judicis, inquirant an talis sit, quæ obvenit, bonorum imminutio, ut juxta recepti juris regulas sufficiat ad rescindendum contractum, vel saltem ad eundem ad justi et æqui normam redigendum.

Ad decreta allata in oppositum, respondent judicium Episcopi non esse reductionem proprie dictam, quam S. Sedes sibi reservavit, sed simplicem declarationem cessationis obligationis ex natura contractus, ex regulis aequitatis, ex presumpta intentione partium. Addunt eadem decreta statuere ad mentem concilii Tridentini, non de redditibus casu deperditis vel tractu temporis notabiliter imminutis, sed de nimio numero onerum ab initio susceptorum, et de redditibus etiam ab exordio insufficientibus, et declaratum fuisse non licere, absque interventu S. Sedis, reducere, re integra, onera missarum ob illam tenuitatem reddituum, vel paucitatem sacerdotum qui possint aut velint eas celebrare¹; quia Episcopi non debent pacta legitime inita rescindere, nec commutare ultimas fundatorum voluntates.

*593. — Quando Episcopus habet indultum apostolicum ad efficiendam onerum reductionem, hæc observare debet: 1º non reducuntur onera quæ stipulati sunt primi benefactores in ipsa fundatione tituli, nisi gravissima urget necessitas; 2º non devenitur ad reductionem obligationum Missarum, nisi aliorum onerum reductio non sufficiat; sunt quippe Missæ ad majorem Dei gloriam et animarum solatium ordinatæ. Supponimus facultates ex indulto apostolico concessas protendi ad omnia pia legata, piasve dispositiones inter vivos, quibus exempli causa,

¹ Cf. Fagnan, in cap. *Ex parte*, n^o 20.50. — Monaceli, *Formularium legale practicum*, tom. IV, suppl. ad II tom., n^o 467, 469. — S. de Liguori, lib. VI, n^o 551, ad dubium II^o. — Bened. XIV, loco citato, n^o 26.

eleemosynas pauperibus distribui, aut inopes virgines dotari, præcipiatur; si enim illæ facultates cohibeantur ad onera Missarum, « non debet, uti animadvertisit Benedictus XIV, Episcopus se extendere, vel ad dotalia subsidia, vel ad eleemosynas, « vel ad quamlibet aliam dispositionem, ex ea juris regula quæ docet facultatem ad certas res datam, ad alias diversi generis « produci non oportere. » N^o 22. 3º Si reductio concedatur in Missis, reducere oportet ritum et solemnitatem, non vero numerum Missarum, quantum fieri poterit.

Nota. Sancta Sedes non consuevit communicare Episcopis facultatem condonandi onera præterita quæ impleta non fuerint, nec consequenter id in Indulto reductionum censetur, nisi expressis verbis declaretur. S. Pontifex condonationem concedit per seipsum immediate, aut per Pœnitentiariam Romanam, seu per Congregationem concilii, sed frequentius per Congregationem specialem fabricæ S. Petri, et tunc providet, prout in Domino magis expedire judicaverit, ex spirituali thesauro Ecclesiae supplendo quidquid in oneribus implendis peccatum est: in suffragium autem et expiationem animarum pro quibus Missæ sacrificium offerri debuerat, congruum Missarum numerum celebrari quotidie mandat ab aliquibus capellaniis, huic muneri addictis, in Vaticana Basilica, cujus fabricæ persolvitur modica compositio, ab eis solvenda qui condonationem exposcunt.

§ 4. De Beneficiis¹.

De Beneficiis inquirendum habemus: 1º quid sint; 2º quid servandum in illorum erectione, unione et divisione; 3º quid item servandum in illorum collatione; 4º quandonam provisus inducatur in possessionem tituli; 5º utrum et quatenus valeat illum resignare aut permutare; 6º tandem utrum et quatenus

¹ Tit. DE PRÆBENDIS, 5, lib. III Decretalium.

teneatur impendere in pios usus superflua reddituum tituli.

* 594. — I^o Quid et quotplex sit beneficium?

I. Beneficium est jus percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis, quod clero ad vitam tribuitur, propter officium spirituale, ecclesiastica auctoritate constitutum.

Duo complectitur beneficium: officium spirituale, v. g. celebrandi Missam, horas canonicas recitandi; et usumfructum boni temporalis officio spirituali annexum: quae ut apertius exponantur, singulas partes definitionis prolatæ paucis diceamus.

1^o *Jus*: In beneficio duplex jus distinguitur, unum videlicet officii seu potestas exercendi munus spirituale; alterum per se temporale quod ad redditus temporales porrigitur: utrumque tamen est spirituale, primum ratione sui, postremum ratione muneris sacri cui annexitur et propter quod concedum est.

2^o *Percipiendi fructus*: beneficium non confert plenam proprietatem, id est dominium boni ecclesiastici, sed usumfructum, neque fructus rei et administrationem; quapropter clericus cui illud obtigit, debet bonum ecclesiasticum administrare ad præscriptum regularum canonicarum, et illud integrum suo titulo relinquere.

3^o *Ex bonis ecclesiasticis*: bona ecclesiastica, in materia beneficiali, nuncupantur res temporales immobiles vel mobiles, Ecclesiis attributæ et auctoritate canonica annexæ officio spirituali. Sunt plerumque bona immobilia; at simul eo nomine veniunt oblationes fidelium, quando solvuntur ob titulum modo permanenti constitutum; sic, inter bona ecclesiastica computatae sunt primitiae, decimæ, et oblationes quas in præcedenti diximus ad *jus stolæ* referendas. (Suarez, *de Censuris*, disput. xxii, sect. i, n° 29.)

4^o *Quod clero ad vitam tribuitur*: Beneficium est perpetuum, vi legis communis, id est ad vitam beneficiarii duratum; ita scilicet quod, jurecommuni, et nisi aliter fuerit ordina-

tum in fundatione tituli, clericus suo officio privari non debeat invitus, sine gravi causa, servatis regulis. Olim clerici perpetuo servabant officium ad quod ordinati fuerant, et sustentabant e bonis Ecclesiæ cui erant adscripti. « Sanctorum canonum statutis consona sanctione sancimus, ut sine titulo facta « ordinatio irrita habeatur, et in qua Ecclesia quis intitulatus « est, in ea perpetuo perseveret, » ait Urbanus II, cap. *Sanctorum*, 2, dist. lxx. Porro quando facta est divisio bonorum Ecclesiæ in Episcopum, clericos, fabricas et pauperes, attributa fuit certa pars eorumdem bonorum titulis officiorum ecclesiasticorum, et inde nata sunt beneficia clericis assignata donec vitam agerent. Quæ lex hactenus permansit in disciplina communæ Ecclesiæ, exceptis solum casibus pro quibus constiterit huic fuisse jure speciali, aut certa consuetudine, derogatum¹. Ilæc mox paulo fusius explicantur.

5^o *Propter officium spirituale auctoritate ecclesiastica institutum*: id est a S. Pontifice vel ab Episcopo, legitime erectum et collatum, secundum formam jure præscriptam. Nullum officium publicum in Ecclesia constitui aliter potest, nec alicui demandari, quam auctoritate competenti; non est autem auctoritas competens in foro ecclesiastico præter jus sacrum S. Pontificis et Prælatorum qui habent jurisdictionem fori externi.

Tituli qui exstant in statu præsenti Ecclesiarum Galliæ, habent rationem beneficii, licet redditus qui ipsis in dotationem adscribuntur, non proveniant ex bonis Ecclesiæ, sed ex ære publico. Canonistæ tradunt communiter bonis ecclesiasticis accenseri oblationes fidelium que dantur vi tituli permanentis, juxta

¹ Perpetuitas, seu immovibilitas, tituli beneficialis, quoad Episcopatum, canonicatum, et officium parochiale, admissa semper fuit in Galliæ ab auctoritate sæculari, in præsenti rerum statu non secus ac sub regimine veteri. Ilane immovibilitatem aperte supponit pro parochis art. 31, si conferatur cum art. 50 legis 18 germ. an. X Reipublicæ, et constans est ea de re jurisprudentia concilii *Status*. V. Villefroy, Tr. de l'Administration du culte catholique, v^e Cure, n° xvi.

ordinationem Ecclesiæ; porro pensiones quas gubernium solvit Episcopis, canonicis et parochis, 1º acceptantur ab Ecclesia; 2º annexuntur, illius auctoritate, officiis canonice in perpetuum erectis; 3º declarantur esse eorumdem titulorum dotationes. Cardinalis Legatus *a latere* dixit nomine Pii VII: « Declaramus « Ecclesiarum dotationem ex iis redditibus conflatam fore qui ab « ipso gubernio assignandi erunt singulis Episcopis... Singulis « vero Ecclesiis parochialibus erigendis, pro congrua rectorum « sustentatione, eos redditus qui, ut in conventione statutum « est, assignandi erunt, iidem Episcopi loco dotationis habitu- « ros fore declarabunt. »

Quo tempore prodit decretum Legati S. Sedis, gubernium non sibi onus assumpserat providendi dotationi capitulorum; sed ex quo gubernium redditus assignavit in gratiam canonicorum, Ecclesia illos similiter acceptavit in dotationem titulorum. Sic, ut unum exemplum afferamus, J. M. Châampion de Cicé, Arch. Ecclesiae Aquensis, in decreto erectionis capituli, specialiter approbato a Card. Caprara die 25 nov. 1804, ita statuit: « Nous déclarons établir et par ces présentes nous érigrons « dans notre Église métropolitaine un chapitre composé de neuf « membres et de nos trois vicaires généraux. Nous déclarons « que la dotation de notre susdit chapitre sera formée de re- « venus qui vont être assignés par le gouvernement à tous les « chanoines, et qui, comme nous l'espérons, seront suffisants « pour leur donner les moyens de soutenir décentement les char- « ges attachées à leur dignité, et d'en remplir les fonctions. » Eodem modo statutum fuit ab aliis Episcopis.

Nihil igitur desideratur in titulis hodiernis, nec officium spirituale, nec bonum temporale ecclesiasticum officio in perpetuum canonice annexum, quominus reputentur vera beneficia; et ultimo concludimus sanctiones juris circa beneficia suas habere applicationes in statu præsenti Ecclesiarum Galliæ. Hanc conclusionem confirmant responsa Congregationum Romanarum, quæ haud semel declaraverunt « pensiones constitutas

« loco reddituum quos beneficiarii antea percipiebant ex fun- « dis, seu loco suorum beneficiorum, eas censeri redditus « ecclesiasticos. » (S. Pœnitentiaria, 9 jan. 1823.)

*595. — II. Beneficia multiplicis speciei distinguuntur:

1º Ratione *officiorum*, alia sunt *majora*, beneficia nempe Episcoporum et aliorum prælatorum jurisdictionem quasi-episcopalem habentium, et alia *minora* quibus hæc jurisdictione non annexitur. Quamvis tamen sublimes illæ dignitates Patriarchatus et Episcopatus sint re ipsa et quandoque dicantur beneficia, non solent in pœnalis et in aliis quæ sunt strictæ interpretationis, comprehendи communi appellatione beneficiorum, ideoque dispensatio impetrata ad omnia beneficia non extenditur ad Episcopatum, propter eminentiam dignitatis quæ est digna speciali nota. (Reiffenstuel, n° 21; Pirhing, n° 9.) — Alia insuper sunt *duplicia*, quæ habent curam animarum, vel jurisdictionem, aut præminentiam, aut etiam administrationem, et alia *simplicia* quæ ordinantur ad cultum divinum, et attributionibus memoratis carent. Hujusmodi sunt, jure communī, plura beneficia quæ solum opus habent recitandi horas canonicas et Missas celebrandi.

2º Ratione *personarum* quibus committuntur, sunt beneficia *sæcularia*, quæ clericis sæcularibus tribuuntur, et *regularia*, quæ religiosis reservantur. Primitus non alia erant beneficia quam sæcularia; monachi vitam communem sub Abbatis regimine ducentes, bona sua temporalia in communi possidebant. Decursu temporum, cum Abbates cuncta suo nutu regerent, et periculosum videretur ne sua potestate abuterentur in detrimentum monachorum quibus aliquando vix necessaria dabantur, Mensam abbatialem a Mensa conventuali distinguere opportunum visum est; sicque titulo Abbatis certam tantum partem in perpetuum adscribi, cuius usum simul et administrationem haberet. Idem etiam ordinatum fuit pro quibusdam aliis officiis quæ nonnullis religiosis committebantur, in cellis et capellis a conventu principali dependentibus, et hæc fuit origo beneficio-

rum regularium. Beneficia sacerularia fieri nequeunt regularia, et vicissim, absque speciali indulto Summi Pontificis, aut diuturna præscriptione.

Inter beneficia sacerularia et regularia medium quoddam tenent beneficia quæ dicuntur in *commendam* quæ scilicet, quamvis fuerint sua origine et destinatione regularia, committuntur clero sacerulari, cum jure fruendi beneficio temporali, cum onere providendi conservationi domus religiosæ et congruae sustentationi monachorum, si vita regularis servata sit in ea domo. Nulla supersunt apud nos beneficia commendæ, que olim ob temporum necessitates Ecclesia admittenda duxit, cum certo tamen moderamine; erat enim hæc ratio ordinandi beneficia multis certe incommodis obnoxia⁴.

3º Ratione modi quo conferuntur, alia sunt *electiva*, alia *collativa*, alia *mixta* seu in *patronatu*. Electiva conferuntur per electionem, juxta regulas juris celebrandam et a superiore confirmandam; collativa conferuntur libera voluntate eorum ad

⁴ Prioribus sæculis nonnulla beneficia ecclesiastica, Ecclesiae episcopales et Abbatiae, *commendata* sunt, ad tempus, clericis qui illorum administrationi providerent, donec facta fuisse electio futurorum titularium. Deinceps usus paulatim invaluit commendandi beneficia ad tempus diuturnum, vel etiam ad vitam, non jam quidem in favorem beneficii, sed potius clerici commendatarii, ut ex beneficii fructibus sustentaretur. Ecclesia potuit, procul dubio, ita de quibusdam beneficiis disponere ad providendum sive Episcopis et sua sede injuste expulsi, sive aliis prelatis majoribus quibus non suspetebant sufficiens munera redditus, modo conservationi et oneribus beneficii caute provisum foret. Potuit etiam conferre Prelatis, vel collegiis, bona quorundam monasteriorum quæ infortunio temporum erant monachis deserta, quin effulgeret spes ea instaurandi. Non debet igitur in crimen verti Pontificibus quod monasteria, aliave beneficia, in *commendam* constituerint; verum dissimilari non potest graves exinde abusus ortos fuisse, et collapsam disciplinam plurim monasteriorum quæ prius majore fama claruerant; sed causa tot malorum fuit ambitio et cupiditas Prelatorum quibus nimis indulserunt adaugendo in dies numerum commendarum: quam ob causam concilium Tridentinum expeditivit ut remedium malo afferretur. (Cap. *Ex supernæ*, 2, DE PRÆBENDIS, Extrav. comm.—Concilium Trid., sess. xxv cap. xxi, *de Regularibus*.—Cf. Gohard, *Tr. des bénéfices*, tom. II, *des Abbayes en commande*.—Thomassin, part. II, lib. II, *de Commendis*.)

quos spectat collatio, iis quibus ipsi voluerint, modo idonei sint; mixta, seu *patronata*, conferuntur ab Episcopo, seu ab alio prælato, ad presentationem patroni. Beneficia curata aliquam rationem habent beneficiorum mixtorum, quatenus scilicet, ex jure communi, non aliter conferenda sunt quam alteri ex renuntiatis dignis in concursu, uti alias exposuimus (nº 256). In dubio, beneficium non præsumitur electivum, nec patronatum, sed collativum, quia electione et patronatu beneficia recedunt e statu primævo, et præjudicium assertur jurisdictioni ordinariae Prælati, ad quem jure communi spectat collatio beneficiorum diocesis.

4º Tandem beneficia dividuntur in *manualia* et *perpetua*. Animadvertisimus beneficia, jure ordinario, perpetua esse, nec auferri posse, nisi ex causis in sacris canonibus expressis; in quo omnes doctores consentire videntur. Sunt vero exceptions apponenda juri ordinario. Excipiuntur 1º beneficia regularia, quæ prælati regulares possunt pro nutu auferre, ob votum obedientiæ, vi cujus religiosi a voluntate sui superioris dependentes esse debent. 2º Beneficia sacerularia in quorum constitutione id stipulatum fuerit. « Nihil obstat, ait Pirhing, quominus « sacerularia etiam quædam beneficia, per Papam vel consuetudinem immemorabilem, vel in prima fundatione, temporalia « et ad nutum revocabilia instituantur. » In titulum DE PRÆBENDIS, nº 14. Idem canonista paulo ante dixerat « beneficia « ad nutum revocabilia, quæque in titulum perpetuum non conseruntur, deficere a ratione beneficii stricte sumpti (nº 4); » illa nihilominus vocat beneficia, in quo cæteros canonistas consentientes habet. Leurenus, proposita quæstione: « Num beneficia vere manualia, seu ad nutum revocabilia, sint vere beneficia? » respondit « dici posse et esse vere beneficia. » Haec cum ita sint, videtur nostras ecclesias succursales, in Galliis, haud immerito vocari beneficia. Constitutæ sunt cum titulo permanenti, vi cujus præsbyteri qui succursalium regimini præponuntur, ministerium spirituale ex officio exercent,

non tanquam delegati (nº 232); eidem officio annexa sunt in dotationem pensiones a gubernio solvendæ et alia bona temporalia; ergo nihil deest quominus dicantur et sint vera beneficia, nisi quod ad nutum Episcopi revocabiles conferuntur, quod quidem recedit a jure ordinario, non vero destruit ipsam essentiam, seu naturam beneficij. Concludimus ecclesias succursales venire nomine beneficiorum, latiori saltem sensu, in favorabilibus, et in iis quæ æquitate naturali ad publicam utilitatem constituta sunt. De pœnalibus idem pronuntiare non audemus, quia etsi valde verisimilis nobis sit opinio quam exposuimus, non excedit tamen limites probabilitatis, et communius succursales non reputantur stricto jure vera beneficia.

*596. — II^o *Quid jure præscriptum sit pro erectione et unione beneficiorum?*

I. *Erectio* majorum beneficiorum reservatur Sedi apostolicæ; beneficia minora erigi possunt ab Episcopis, vel a prelatis qui potiuntur jurisdictione quasi-episcopali. V. g. Episcopus potest erigere beneficium simplex, et beneficium cum cura animarum, Ecclesiam nempe parochiale. De canoniciis alibi dictum est. (Nº 586.)

In erectione beneficiorum tria præsertim statuuntur: 1^o Titulus canonice constituitur, scilicet Ecclesia, seu Ara Deo dicata, sub alicujus mysterii veneratione aut sancti patrocinio; 2^o determinatur officium spirituale quod titularis obire debeat in eadem Ecclesia; 3^o dos competens assignatur, qua provideatur sustentationi clerici titularis, et adimpleioni oneris beneficij.

Fundator beneficij potest in actu fundacionis apponere conditiones, quæ si approbentur ab Ordinario et aliunde non adversentur regulis canonicis, religiose servandæ erunt, tum ab heredibus, tum a successoribus Ordinarii. « Ratio postulat, ut illis quæ bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur. Quando igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione seu fundatione, aut aliis constitutionibus, qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta, in

« beneficiorum collatione, seu in alia qualibet dispensatione, « eis non derogetur. » (Concil. Tridentinum, sess. xxv, cap. v, *De Reform.*) Conditiones impossibilis, quæ nimirum sacris canonibus adversantur, pro non adjectis habenda sunt.

597. — II. *Unio beneficiorum* fit, servatis regulis sequentibus, jure præscriptis.

1^o *Unio*, annexio, seu conjunctio beneficiorum, fieri potest triplici modo: 1^o *Extinctione*, si, v. g., ex duabus parochiis fiat una, adeo ut ambo beneficia in unum tertium coalescant. Privilegia Ecclesiarum, eo modo unitarum, transferuntur ad Ecclesiam ex illa unione formatam. 2^o *Subjectione*, si una Ecclesia alteri subjiciatur tanquam superiori, adeo ut ei adhaerere debeat velut accessorium principali. Beneficium sic unitum amittit titulum quem prius habebat; acquirit vero naturam, qualitates et privilegia beneficij principalis. 3^o Simplici duorum *Annexione*, adeo ut æque principaliter uniantur. Ambo suam naturam, et titulum conservant cum privilegiis et neutrum alteri subjicitur; sunt tantummodo sub uno rectore. Effectus hujusmodi unionis, quam *adæquativam* vocant, non alias esse videtur, nisi quod rector unius Ecclesiæ sit eo ipso rector alterius, et utrique pariter debeat providere. Ut vero dignoscatur quæ sit unio, an extinctiva, an æque principalis, attendi debet ad tenorem decreti et ad denominationem beneficij, quo nimirum titulo insigniatur.

2^o Dicitur in capite *Sicut*, 8, *DE EXCESSIBUS PRÆLATORUM*, lib. V Decret.: « Sicut unire episcopatus atque potestati subjiciuntur alienæ, ad Summum Pontificem pertinere dignoscitur; « ita Episcopi est Ecclesiarum suæ diœcesis unio et subjectio « earumdem. » Episcopis proinde jus competit uniendi beneficia minora suæ diœcesis. Ad unionem beneficiorum non procedunt nisi urgeat necessitas, seu motivum grave, uti supponit cap. *Exposuisti*, 33, *DE PRÆBENDIS*. Concilium Tridentinum declarat quidem Episcopos posse, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegatos, « facere uniones perpetuas quarum-

« cumque Ecclesiarum parochialium, et baptismalium, et aliorum beneficiorum... propter earum paupertatem, et in cæteris casibus jure permissis; » sed non in aliud finem id decernit nisi « ut Ecclesiarum status, ubi sacra Deo officia ministrantur, ex dignitate conservetur. » (Sess. xxi, v, *de Reform.*)

3º Eodem decreto concilii statuit, ut unio Ecclesiarum fiat « juxta formam juris, sine tamen præjudicio obtinentium. » Quæ sint formæ juris novimus ex alio textu concilii, scilicet ex capite vi sessionis VII : « Uniones... quæ deinceps ad cujusvis instantiam fient, nisi eas ex legitimis, aut alias rationabilibus causis, coram loci Ordinario vocatis, quorum interest, verificandis, factas esse constiterit, per subreptionem obtentæ præsumantur; ac propterea nisi aliter a Sede Apostolica declaratum fuerit, viribus omnino careant. »

Necessarium proinde est informare de commodo et incommodo, vocatis coram Episcopo quorum interest, ut plena libertate suas rationes exponant, sive unionem opportune fieri existiment, sive illam minime expedire arbitrentur. Quapropter, si parochia unienda sit capitulo, convocari oportet capitulo et parochianos, matriculariis Ecclesiæ parochialis representandos: si duæ parochiæ simul uniendæ sint, convocabuntur matricularii utriusque Ecclesiæ. — Necessarium non est ad valorem unionis ut convocetur et intersit parochus; quod deducimus ex cap. Si una Ecclesia, 2, DE REBUS ECCLESIE NON ALIENANDIS, Clem. Ratio est, ait Schmalzgrueber, quod « cum unio non sit sortitura effectum, donec beneficium uniendum vacaverit, per mortem vel aliter, consequenter per eam possessori nullum fit præjudicium... Si tamen rector beneficii uniendi hujus vacantis defensor, plebs, vel dominus loci se unioni opponat, audiendi sunt, et causa quam allegant examinanda. » N° 190¹.

¹ Cf. *Ami de la Religion*, tom. XL, pag. 289-296, ubi referuntur reclamationes ex parte parochi Carnutensis contra unionem parochie cum capitulo.

Lex quæ statuit ut causa unionis verificetur vocatis quorum interest, non idcirco requirit ut consentiant, sed solummodo ut convocentur et audiantur. Aliter dicendum de capitulo cuius consensus requiritur, ob rationes alibi allegatas, quoties de negotiis gravioribus Ecclesiæ cathedralis agitur. Si dissentiat capitulo, et Episcopus nihilominus existimet gravem rationem urgere, adire debet S. Pontificem cuius auctoritate negotium componetur.

*598. — IIIº Utrum et quatenus Ecclesiæ Parochiales uniri possint monasteriis, capitulis aut seminarii?

Concilium Tridentinum indixit ne « Ecclesiæ parochiales monasteriis quibuscumque, aut abbatiis, seu dignitatibus, sive præbendis Ecclesiæ cathedralis vel collegiate, sive aliis beneficiis simplicibus uniantur. » (Sess. xxiv, cap. xiii, *De Reform.*) Duo exinde dubia orta sunt: 1^{um} an sit prohibitum unire parochias seminarii; 2^{um} an Episcopus valeat eas unire capitulo Ecclesiæ cathedralis.

Ad 1^{um}: canonistæ communius asserunt Episcopum non posse unire seminario beneficia parochialia; quod deducunt ex alio decreto ejusdem concilii, in quo facultas impertita Episcopis uniendi beneficia suis seminariis, restrieta est ad beneficia simplicia, et ex variis decisionibus relatis apud scriptores¹. Id intelligendum putamus de unione canonica proprie dicta, vi cuius seminarium acquireret titulum parochiale, haberet curam habitualem, rector parochiæ esset vicarius, bona denique et redditus parochiæ incorporarentur seminario in ipsius dotacionem. Nihil autem vetat, ex parte hujus decreti, quominus Episcopus committat rectori seminarii curam parochiæ, si haec unio existimet profutura, tum parochiæ ad splendorem cultus et salutem animarum, tum seminario ad clericorum institutionem, ut olim pluribus in diecesibus Galliarum ordinatum

¹ Riganti in regulam xiii Cancellariae, n° 91-94. — De Luca, discurs. xxxv, de Parocho. Ferraris, v^o Seminarium, n° 63. — Cf. Mémoires du clergé, tom. X, 1816-1830. — Barbosa in cap. xiii conc. Trid. n° 11.

fuerat. Igitur secluso casu quo lex concursus ad assecutionem beneficiorum parochialium vigeret in diœcesi, videtur Episcopum posse, servata forma juris, unire parochiam seminario, in sensu restricto quem explicavimus.

Forma juris in eo casu servanda, esset deliberatio et assensus capituli, siquidem hæc ordinatio aliquatenus restringit in futurum jura Episcopi in electionem parochorum. Præterea, si Episcopus velit unionem constabiliari, ut nihil immutetur sub suis successoribus, necesse est ut auctoritate Sanctæ Sedis firmetur.

Ad II^{um}: quod ad unionem Ecclesiae parochialis cum capitulo spectat, animadvertisendum est multiplici modo Ecclesiam parochiale posse uniri.

Vel parochia unitur dignitati, aut præbendae Ecclesiæ cathedralis, adeo ut qui hanc dignitatem seu præbendam assequitur, eo ipso constituatur parochus, titulo inamovibili; vel unitur ipsi capitulo adeo ut capitulum censeatur parochus, et parochiam regat per vicarium seu temporalem, seu perpetuum; vel unitur capitulo ea ratione quod Episcopus vi ordinationis stabiliter constitutæ, uni ex canoniciis a se electo curam parochiæ ipse demandet, munere revocabili, ut fit in pluribus Ecclesiis cathedralibus Galliarum.

Unionem priori et secundo modo ordinatam admittebat olim disciplina canonica; quod deducimus ex cap. *Extirpanda*, 50, DE PRÆBENDIS, Clement., et ex cap. vii, sess. vii, de Reform., concilii Tridentini; illam autem Episcopus non debet efficere in Ecclesiis ubi servata hactenus non fuit, quia obstat lex Tridentina. Nec etiam unionem altero modo explicatam efficere potest, jure proprio immutando statum parochiæ jam rite constitutæ, ut in futurum demandetur, instar succursalium, titulo ad nutum revocabili, uni ex canoniciis capitulo Ecclesiæ cathedralis. Præter quod parochia exinde destituitur suo titulo, Ecclesia cathedralis ordinatur modo qui minus consentit cum jure communi et inauditus videtur sœculis præteritis...

Hæc tamen notando, loquimur tantum de nova ordinatione quæ in statu præsenti fieret; non in disceptationem adducere præsumimus quæ ab initio, post concordatum, in suorum diœceseon instaurazione statuerunt præsules Galliarum. Arbitrati sunt non exceedere limites facultatis sibi a Pio VII concessæ ad erigendum suam Ecclesiam cathedralem cum capitulo, ea ratione quæ sibi visa fuerit magis conducere ad feliciorem utriusque statum, attentis temporum circumstantiis; nec dubitamus quin a tempore quo hæc ita fuere constituta, accesserit tacitus saltem assensus Ecclesie Romanæ.

*599. — IV^o Utrum et quatenus beneficia rite erecta possint dividi, aut dismembrari?

Divisio beneficiorum locum habet quando ex uno beneficio plura fiunt: est simplex *dismembratio*, si illius pars quedam alteri beneficio annexatur.

1º Fas non est dividere beneficia, nisi id fiat auctoritate legitima, ex causis jure permisis, et servata forma canonibus statuta. Indicitur in Decretalibus: « Ut sicut in magnis, ita quoque in minimis membris suis firmatam Ecclesia unitatem habeat, divisionem præbendarum, aut dignitatum permutationem fieri prohibemus. » Verba sunt Alexandri III, qui tamen in alia decretali concessit ut villa quædam a parochia separaretur atque in Ecclesiam erigeretur, quia nimium distabat, et hymali tempore, cum pluviae abundant, parochiani non poterant sine magna difficultate Ecclesiam adire et congruo tempore divinis interesse officiis. (Cap. Majoribus, 8, DE PRÆBENDIS; cap. *Ad audientiam*, 3, DE ECCLESIS AEDIFICANDIS.) Ratio boni communis utrumque requirit; ut conservetur quantum fieri potest integritas beneficiorum, et tamen fiat eorumdem divisio, si aliud medium non suppetat consulendi ædificationi fidelium.

2º Causa legitima divisionis est necessitas spiritualis fidelium, quod ex decisionibus S. Congregationis concilii, et ex ipsiusmet concilii decretis ita exponendum videtur:

Divisio beneficiorum fieri non debet præcise ad augendum

splendorem cultus divini, si aliunde numerus clericorum sufficiens sit implendis obligationibus; nec ob augmentum parochiaæ quæ multitudine fidelium abundat, si, seclusa divisione, parochus valeat, aut per se, aut ascendo numerum competentem vicariorum, omnium fidelium necessitatibus succurrere; nec tandem ob exiguitatem Ecclesiæ parochialis, quæ omnes parochianos continere non valet; huic enim incommodo remedium assertur constructione alterius amplioris Ecclesiæ. Ita sæpius declaratum referunt Garcias, tract. de *Beneficiis*, part. XII, cap. iii; Pirhus Corradus, *Praxis beneficiaria*, lib. III, cap. ii, et cæteri plures. Ita concluditur ex concilio Trid., sess. xxi, cap. iv, de *Reform.*, pro casu quo parochus solus non sufficit, sed providere potest sufficienter utilitatibus fidelium, si majorem numerum vicariorum sibi associet.

Necessitas autem dividendi beneficium aderit: 1º Quando ob locorum distantiam, vel itinerum difficultates, parochiani non possunt absque magno incommodo Ecclesiam adire, ut sacramenta percipient divinisque officiis tempore congruo intersint; alioquin multi carerent subsidiis spiritualibus. Quam causam assignat concilium Tridentinum, cap. iv sessionis citatae. 2º Quando ob nimiam multitudinem populi, parochus non potest, etiam vicariis sibi in officium consociatis, suam parochiam convenienter regere. Attendendum est ad commoditatem et necessitates spirituales fidelium; contingere autem potest tantam excrevisse multitudinem parochianorum ultra limites jure prævisos, ut parochus impar sit hujus multitudinis curam convenienter agere, tametsi vicariis adjutus. 3º Quando, ob male dispositos fines parochiæ, parochiani ægre ferunt necessitatem adeundi suam Ecclesiam locis remotiorem, et accessu difficultatem, quam aliam Ecclesiam vicinioris parochiæ. S. Congregatio significavit quanto moderamine haberi debeat ratio morum ac fragilitatis incolarum, approbando divisionem cuiusdam parochiæ, ob eam præcipue causam quod una pars incolarum qui in vico vicino morabantur, ægre patiebantur ludibria quibus ob-

noxii erant ex parte civium urbis, quando illam adibant, cum suis rusticis vestibus. (Pirhus Corradus, loco citato.)

600. Quod ad *dismemberationem* beneficiorum attinet, duo suboruntur dubia: I^{um} an liceat partem aliquam fructuum ab uno beneficio parochiali separare in gratiam alterius parochiæ, quæ sibi non sufficit ut debita onera expleat? II^{um} an possit pars territorii unius parochiæ adjungi alteri parochiæ vicinæ pauperiori?

Ad I: Beneficium regulariter non debet privari parte fructuum; quia jura volunt unamquamque Ecclesiam integritatem suam servare; nec expedit, aiunt canonistæ, *unum altare dis-cooperiri ut alterum cooperiatur*. Docent nihilominus Episcopum posse dismembrare beneficia ex justa et rationabili causa, qualis foret necessitas Ecclesiarum, si una ob tenuitatem redditum non haberet numerum competentem ministrorum ad dispensationem sacramentorum et curam spiritualem fidelium, dum altera redditibus abundaret; « tunc enim, ait Reiffenstuel, « poterit fieri dismembratio fructuum hujus Ecclesiæ applicandum alteri. Addit Barbosa quod aliquando sola pinguedo reddituum unius, et exilitas fructuum alterius Ecclesiæ, re- « putetur causa legitima pro dismembratione. » (In tit. Ut *ECCLESIASTICA BENEFICIA SINE DEMINUTIONE CONFERANTUR*, n° 28.) Id non est in usu in nostris regionibus, ubi alia suppetunt media providendi necessitatibus Ecclesiarum. (N° 588.)

Ad II: Quando expedire judicatur detrahi partem territorii unius parochiæ, ob nimiam locorum distantiam, aliasve rationes modo expositas, Episcopus æquo jure valet, aut novam parochiam constituere, aut partem ex altera decisam adjungere viciniori parochiæ, quæ impar est, præ indigentia, subeundis, oneribus cultus publici et sustentationis cleri. Si enim Episcopatus sit, ex principiis generalibus juris, dividere unum beneficium in duo vel plura, cur illicitum diceretur parochiam jam existentem, nec sibi sufficientem, sublevare novis territorii incrementis, si ea ratio melior magisque opportuna sit subve-